CLARISSIMO VIRO;

IN PRAXI FELICISSIMO,

HENRICO MICHAELI

MISSA,



Saluberrimæ Facultatis Medecinæ Parisiensis Doctori-Regenti, antiquo Regis exercituum in Germaniâ Medico, Regii Medicorum Nanceianorum Collegii Socio honorario, Regiæ Scientiarum Academiæ Catalaunensis Socio, Censori Regio, nec non hujusce actus Præsidi.

Supervacaneum existimo, Vir Clarissime, beneficia recensere quibus tua me artis Medicæ prima salutantem limina, humanitas excepit, & constanter in hunc usque diem prosequuta est. Ante enim aliquis dixerit millia ægrotantium quibus ars tua salutifera, luce frui, firmâque gaudere valetudine concessit, quam ego, quibus me cumulasti favores assiduos. Non secus ac sedula mater quam sobolis cura tenet sollicitam, incertos firmasti gressus, meque per difficiles salebrosasque semitas artis, amicâ manu deduxisti. Exquisiti judicii simul & experientiæ facem præ me ferens, lapsus prævertisti graves, neque me ab observationis recto tramite sivisti declinare.

Utinam mihi tot beneficiis parem me præbere liceat! Quod quidem aliter per me non posse fieri arbitratus sum, quam si omni ope atque opera in ejus scientiæ studium incumberem, ad cujus pro-

movendum decus acriter elaboraſti ; ratus ſcilicet tibi hujuſce laboris mei qualemcumque fructum fore non injucundum. Tibi ergo dicatum volo , tibi conſecro tibi laudem illius , ſi qua dabitur conatibus , omnem acceptam refero. Debitam fateor ; non aliter quidem rivuli qui per amœnos campos aquas ducunt pellucidas , maternum libenter fontem agnoſcunt. Dum autem hos animi mei ſenſus explico , VIR CLARISSIME, non mea tantum res agitur ſed & fratris chariſſimi tuis curis ad proxim Medicam informati , necnon parentum dilectiſſimorum ; amoris æmuli ſummique ſtudii quod mecum tibi meritò devovêre fidus interpres ;

Devinctiſſimus & obſequentiſſimus ſervus ,
TUSSANUS CL. NIC. NAVIER ,
Doctor Medicus Remenſis , necnon
Medicus Pariſienſis.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-nonâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXVIII.

M. HENRICO-MICHAELE MISSA, antiquo Regis Exercituum in Germaniâ Medico, Regii Medicorum Nanceianorum Collegii Socio honorario, Regiæ Scientiarum Academiæ Catalaunensis Socio, Censore Regio, *M. LAURENTII-CHAUMONT SABATIER* vices gerente, Doctore Medico Præside.

An Variis Chronicis variæ Hepatis sulphurei *species?*

I.



MNES Chronicorum causas ad quatuor capita facilè revocaveris. In priori recenseas obstructionem lentam vasorum tam sanguineorum quam lymphaticorum, glandularum, & quidquid læsiones id genus potest inferre corpori; qualia sunt spissitudo lymphæ, secretiones quædam retentæ, bilis scilicet, perspiratio, menstrua, lac, alvus stricta &c. Alterum caput constituunt ulcerationes, suppurationesque lentæ viscerum, videlicet pulmonum, renum, lienis, uteri. In tertio sese prodeunt variæ humorum degenerum mutationes, quales sunt arthritis, rheumatismi, eresypelas; & illæ quæ principio virulento videntur deberi, ut lues

venereæ, herpeticæ, ſcrophuloſæ, ſcabioſæ. Quartum ſibi vindicat omnes ſpaſmodicos affectus, quos tamen in propoſiti noſtri partem non admittimus.

Verùm iſtæ quotquot ſunt cauſæ non ſic à ſe invicem ſeparantur, ut quandoque ſimul plures non concurrant. Tunc quidem oritur complicatio morbi, quamvis Chronicum non deferat morem; ex intricatis ſymptomatibus, difficiliùs indicationes curatorias Medicus eruit, actio medicamentorum luditur, quinimò ſeſe mutuò deſtruunt. Quid tentandum in hiſce rerum anguſtiis? Alii projiciunt anchoram, & ſalutem ægrotantis tempori committunt & naturæ; alii unam ſolùm vel alteram cauſam ſuperare moliuntur, cæteras interim negligunt, mox ſeorſim oppugnandas. Felices ſanè hæc ſi proſperè cedant, ſi ſanitatis ad portum, ægrum citiùs ocyùſve faciant appellere. Verùm certior erit curandi methodus, ſi legitimum in uſum veniat pharmacorum genus peculiare, cujus diverſæ ſpecies opportunè exhibitæ faciliùs ſubigant diverſas Chronicorum ſanabilium cauſas. Id autem fieri nequit niſi à medicamento, inſigni penetrabilitate, ſolventibus viribus eximiis donato, paucam præterea aut ſaltem innocuam irritationem producente, & plus ad tonicam actionem commovendam, quam ad excitandum erethiſmum & conſtrictionem comparato. Illud quidem ſuppeditabit hepar ſulphureum, tùm ſimplex, tùm martiale, adverſus venena corroſiva jam præſtantiſſimum, (1) tum etiam mercuriale, antimoniatum, & aliæ ſpecies metallicæ; quorum abs re non erit, principia & naturam chemicam paucis exponere.

I I.

QUOTIESCUMQUE ſulphur cum alkali fixo, vel calce, vel utroque ſimul, arte Chemicâ conjungitur, ſubſtantia quæ indè obtinetur media, facillimè in aquâ etiam frigidâ ſolubilis, obſcurè flava, odoris nauſeoſi, ſaporis ingrati, hepar ſulphureum audit. Igitur, ut oleum junctum lixiviis menſtruo ſolvitur non ſuo, ſic ſulphur quaſi ſaponaceâ indutus naturâ, quam ſubire nullo modo poterat aquàm jam recipit, & in ipſâ facili negotio dividitur. Quam igitur olei cum ſulphure analogiam arguebat ipſorum facilis & mutua in *Rubino ſulphuris* conjunctio, eam confirmat ſimilitudo connubii cum alkalinis ſubſtantiis. Nonne adeò parem virium medicarum autumare licebit conformitatem?

Saponis autem virtutes egregiæ adverſus Chronicos ferè omnes, Medicorum omnium conſenſu, nec immeritò prædicantur. Quanta in primis hujuſce ſubſtantiæ efficacia contrà ſpiſſitudines lymphæ, ſanguinis, ſuſpenſas ſecretiones, tum

---

(1) *Vid. laudatiſſimum opus dictum:* Contrepoiſons de l'arſenic, du ſublimé corroſif, du verd de gris & du plomb, &c. 2 vol. in-12. à Paris.

à lentore vel concretione humoris ſecretorii, tum etiam à ſegnitie nativâ organi ſecernentis oriundas ; quam facile reſerat impedimenta & obſtructiones glandularum meſenterii, hepatis, pectoris, renum, uteri &c. ; quantum valeat in arthritide chronicâ, & innumeris aliis morbis, jam omnibus palam eſt. Verùm præſentaneum magis fore ſaponem quis dubitat, ſi conjugium olei cum ſale alkali inſtitueretur perfectius, ſi ſolubilitate integrâ in menſtruis aquoſis non verò lacteâ gauderet, ſi etiam in conſortium admitteret ſubſtantias metallicas adverſùs morbos Chronicos præſtantiſſimas, videlicet martem, mercurium, antimonium? Quæquidem omninò huc uſque in ſapone vulgari cum deſiderentur, ab hepate ſulphureo, alio quidem ſaponis genere, repetenda ſunt. Quomodo ſolvat martem, mercurium, aurum, demonſtravit amantiſſimus Pater *P. T. Navier* (1). Proceſſus etiam Chemicos propoſuit ab omnibus facilè & modico ſumptu iterandos. His etiam qualitatibus hepatis ſulphurei & eximiæ ejus ſolubilitati illud accedit, quòd exquiſitiſſimâ partium tenuitate, halituque volatili, intimos corporum receſſus facillimè penetret.

Nonnihil igitur noſtro argumento videtur favere ipſius medicamenti conſideratio chemica, quam tamen nec ſufficere certè, nec quidquam abſque aliis valere crederemus. Corpus enim ſenſibilitate regitur. Ea cum ſit adeò abſcondita, adeò varia mutabiliſque & à noſtris calculis remota, temeritatis prorsùs & ignorantiæ eſſet, extructa longè à naturæ foro in artis officinis ſyſtemata trahere humanos in uſus. Eſto igitur ſuprema lex obſervatio ; nec ante de hepatis ſulphurei virtutibus medicis ſtatuere audendum eſt, quam ipſius in corporis humani œconomiam effectus varios datum fuerit pernoſcere.

I I I.

EA eſt natura illius adunationis, quæ in hepate ſulphuris conficiendo oritur ut ſimplicium ſubſtantiarum virtutes minimè deſtruat vel infirmet, imò verò eas extollat mirum in modum atque intendat. Igitur quid ſingula ſeorſim poſſint hujus compoſiti principia, primùm exponere liceat, antequam ad ejus actionem, proprietates & uſus deveniamus.

In partem hepatis ſulphurei veniunt quæcumque alkalinâ indole donata ſunt; alkali utrumque fixum, & illud quod volatile vocant, & calx viva dicta.

Alkalina fixa, humores animales concretos ſolvere præcipuè ſi motu vitali adjuta fuerint, & colliquare valent. Aliundè facillimè, modò temperatè fiat, à noſtris vaſis ad-

(1) Contrepoiſons,

mittuntur & in extremos canales uſque ſeſe inſinuant. Illud vix comprobatione indigeret, niſi ipſa argumenta ad propoſitum noſtrum maximè pertinerent. In infarctibus glandularum, in tumoribus etiam inertibus, in ipſis concretis articulorum mirè auxiliantur. Nihil laudatum magis in obſtructionum curâ, *Vicienſibus aquis*. Iſtæ multum fixi alkalini continent cum ſale *Glauberiano* conjuncti.

Volatilia, attenuant, penetrant, ſolvunt, ſolutaque per abundantiorem diaphoreſim diſſipant.

Aqua calcis non ſolùm terræ calcariæ pauciſſimas virtutes continet; ſed licet amiſſo per ignis violentiam aere, forſan receptis in aeris locum phlogiſticis partibus, Calx cum aquâ ruit in mutuos amplexus. Hoc novo connubio dives, tenuiſſimum & ſtimulantem ſpiritum obtinet: nec metus eſt ne concretorum ſoliditatem augeat & pertinaciam. Stimulat, attenuat, ſolvit; teſtis eſt virtus lithontriptica, non immeritò ipſi conceſſa; teſtis etiam major eſt uſus ipſius frequens & æquè felix in obſtructione lymphaticâ meſentericâ puerorum.

Nihil notius eſt actione ſulphuris medicâ, & contradicentibus multis quos chemica ratiocinia nimium excæcaverant, tenuiſſimos meatus pervadit atque imbuit & celerrimè ipſius halitu fœtent canales perſpirarorii. Num cum bilioſis ſalibus abit in hepatis ſulphurei naturam? Huncce nodum ſolvere non noſtrum eſt. Certè & in corpus facillimè admittitur & deterget ulcera, pulmones obſtructos liberat, & vitia multa ad cutim felici ſucceſſu propellit. Nec ſilentio illud premendum eſt, quòd multis medicamentis admiſto ſulphure, multùm illis irritamenti tollatur, quo partes nervoſas concutiunt ac turbant; cujus rei indicium non parvum eſt collatio antimonii crudi cum ipſius regulinâ parte, cinnabaris & æthiopis cum mercurio, auripigmenti cum arſenico, & alia multa quæ hîc tacere jubet limitum anguſtia.

Junctis ſubſtantiis prædictis, intenduntur Chemicæ virtutes; nonne idem & de Medicis virtutibus autumare licet?

Neque id in theoricis ſpeculationibus conſiſtit tantùm, verùm experientiâ demonſtratur. Exemplum ex aquis mineralibus ſulphureis, quæ tenuiſſimo hepate turgent, quarum adeò præſtat uſus ſulphure ſimplici & alkalinis, ut ipſas quibus impediuntur nervi paralyſes, cæteris irritis diſcutiat ac diſſipet, juſtoque nomine in praxi celebrentur.

De illâ hepatis ſpecie quæ cum volatilibus alkalinis conflatur dicere non auſim: quanquam mira ipſius tenuitas quâ in vapores abit conſpicuos & abundantes à nemine ignorentur. Verùm à ratiocinio ad praxim & res & utilitas & ingenium vocant.

I V.

QUATUOR inter supra recensita causarum genera à quibus Chronici omnes natalia repetunt, quosdam selige cum annexis sibi morbis ex quibus singularum hepatis sulphurei specierum virtus eximia in aperto veniet.

Absit à nobis illa circulatorum audacia quâ se, unico specifici alicujus auxilio, morbos omnes absque methodo, jactant curaturos. Non omni tempore, neque cunctis in casibus convenit nostra propositio. Antequam scilicet demptus sit irritationis metus omnis, neque impactam nimis materiem activo nimium remedio oppugnare audebimus. Prima morbi exordia tentanda sunt leni aperientium vegetabilium actione; succique saponacei aditum faciliorem intra viscera præbere debent. Auctis sensim medicamentorum viribus ad fortiora devenimus. Tunc temporis, justoque etiamnum moderamine utentes, hepatis sulphurei usum aggredimur, neque legitimam expectationem fallet experientia.

Obstructionum genus omne, tam frequentiâ casuum quam specierum varietate notabile, vastum observationibus & experientiæ campum aperit. Liceat differentiam hîc ponere quadruplicem. Primam obtinebit obstructio quam parit crassior secretorum humorum inspissatio intra proprios canales; quo loco eam reponere est quam dicemus biliosam. Forsan & hujus ordinis essent infarctus calculosi, qui tamen cum intrà majores potius cavitates ductusque quam intrà mæandros organicos informentur, minùs ad nostrum propositum videntur pertinere. Altera differentia dabitur ab obstructione Catharrali lentâ, qualis in Asthmaticis aliisque pulmone infarcto laborantibus observatur. Tertiam dabit glandularum infarctus lymphaticus seu lymphæ in ipsis suis officinis, (1) circulique primariis organis inspissatio. Ultimum sibi demùm vindicabit ordinem tenuior illa quæ solis suis effectibus manifesta, nullis obvia per se sensibus est, quæ varias paralyses efficit quas præcipuè post apoplexias observamus, & quæ dici poterit obstructio lymphatica tenuior.

In biliosis igitur analogiâ ducti, bilioforumque principiorum cum sulphureo-hepaticis convenientiâ, remedii nostri usum proponere nulli dubitaremus, nisi parva grandibus debellare velle videremur. Nisi enim, vel ægrorum incuriâ vel medentis imperitiâ res eò perducta fuerit, ut vix non destructo organo, scirrhosoque facto viscere sanationis spes omnis abjicienda sit, plerùmque saponaceorum succorum usu, aquisque vicicnsibus demùm ac Passiacis martialibus, cura feliciter absolvitur.

---

(1) Vide nostram Thesim Physiologicam: *An systema glandulosum lymphæ officina?* 1776.

Catharrum his auxiliis debellare non neceſſe ſemper nec utile credimus. At ubi pulmoni inſedit frigida labes, laxoque viſceri inhærens viſcida materies, ipſâ morâ pertinaciam acquiſiit, tum ſulphurei hepatis uſus non mediocriter ad curationis perfectionem conferet. In cauſæ noſtræ adminiculum advocare liceat experientiam quàm ex felici Kermetis mineralis & aquarum ſulphurearum adhibitione hîc jure noſtro vindicamus. Quamvis enim ipſius Kermetis analyſis difficilior huc uſque fuerit, quàm ut perſpicuè in ipſo demonſtrari poſſit antimonii ſolutio in ſulphureo compoſito, ipſius tamen confectio id ſuadet, & accedit clariſſimorum virorum auctoritas qui ipſum, *hepar antimoniatum* vocare non dubitaverunt.

Ubi in glandularum lymphaticique ſyſtematis ambagibus inſpiſſatur lympha, laudatur meritò mercurialium & antimoniatorum actio. Verùm ità ſæpè induratur ut parietibus organorum veluti concreſcat gypſea, vulgaribus non ceſſura remediis ; tunc enim in multis requiſita partium tenuitas deſideratur. Plurima verò ex iis, ſubtilitatem quam ſalinâ ſub ſpecie ab acidis conſortibus acceperunt, ſtimulis mordacibus, imò & corroſivâ indole infeſtam præferunt ac meritò prudentioribus reformidandam. Nonne igitur pretioſis remediis innocuam tenuitatem conciliare potens eſt ſulphuris hepatici ſocietas. Hujus vis blandior, pungens minùs, amica magis, actionem fibrarum auget, & dum halituoſâ nervos pervadit naturâ, vires corporis in conſortium vocat ; ſic in uſus Medicos duci poteſt hepar ſulphuris, tum mercuriale, tum antimoniatum ; noſtramque theoriam confirmavit dudum experientia non mea ſed paterna de uſibus hepatis ſulphurei mercurialis (1), neque præterea novum eſt ſulphureis ex alto decidentibus aquis & ipſarummet balneis reſolvi concreta quæ circa articulos, tùm moræ diuturnitate, tùm loci naturâ ſæpè foventur difficillimamque & inertem maximè conſtituunt obſtructionis lymphaticæ ſpeciem.

Quartum obſtructionis genus, ſi ſoli theoriæ vellemus inhærere, irreſolubile prorſus curæque neſcium profectò diceremus. At animos addit obſervatio bonorum ferax. Depulſâ ſcilicet appoplexiâ, hæret artubus malum, omniſque motûs oblita membra collabuntur, abſque ullo infarctûs notabilis exteriori ſigno. Non tamen rarum eſt tales omninò curari paralyſes uſu longo primò quidem Bellilucanarum, ſale efficaci divitum, deinde verò potu vel duciis ex ſulphureis illis quas terra fundit in vicis dictis *Cauterez* & *Bourbonne-les-bains.*

Actum eſſet jam de uſu hepatis ſulphuris in obſtructionum curâ niſi aliquam hîc ſibi partem depoſcere videretur hepar martiale. Ubi ſcilicet confirmanda eſt cura,

---

(*e*) Contrepoiſons. Tom. II. pag. 206 & ſuivantes.

ad martialia veniunt practici, quorum ope tonus & actio ſollicitantur durabiles & ab aperientibus ſolventibuſquè ad hanc partem deſcendere gradatim ſolent. Vim duplicem nec ſpernendam feret hepar martiale, & dùm ſolvit pellitque mali reliquias debitum ſimul robu additr, tonicorumque partem implet.

Infarctibus autem plurimis viſcerum & obſtructionibus, quoquo modo fiant ſuccedunt ſæpiſſime ulcera,lentæque ſuppurationes,phtiſeſque, ſive altera chronicorum cohors. Fere deſperatum genus ! Si tamen & vires ſufficiant & pateat exitus nec altè infecti humores perpetuam referant mali ſcaturiginem, licet meliora confidere. Utinam detergeretur ulcus, expulſâque infarcti viſceris labe conſolidatum coaleſceret ! Uſi fuerunt aliquando non infeliciter balſamicis, aquâ calcis & ſulphure. Hæc duo ultima conjungit hepar ſulphuris calce comparatum. Nec repugnat experientia. Dudùm novimus in ipſis pulmone ſuppurante laborantibus quantum potuerit uſus aquarum quæ dìcuntur de *Barretgez* & illarum quæ minori principiorum quantitate turgent, dictarum de *Bagnères.* Ipſarum illuſtravit efficaciam celeberrimi hujus ſcholæ magiſtri auctoritas.

Quid grandibus ſcrophulis ulceratis, quid Cancris conveniat, nihil dicimus nec enim ad ſcopum attinent.

Vix diſquiſitione ullâ indiget uſus ſulphureorum adeò notus in vitiis illis quibus humorum tenuiorum indoles corrumpitur. Nam quod venerea ſpectat ſat comprobatum eſt quantam ex hepate ſulphuris mutuetur efficaciam mercurius. Scrophuloſi infarctus jam dicti ſunt ; vitiiſque ad cutem ſpectantibus, herpeticis,ſcabioſis,ereſypelatoſis jam dudum per ſulphurea medicamenta proſpectum novimus.

Sed quamvis non parum inde emolumenti capiant rheumatici affectus, laudum & encomiorum nimis certè prodigi videremur, ſi arthritidem curæ felicioris huc uſque neſciam hepatibus noſtris ſubjiceremus.

Iſtis igitur terminis includitur hepatum ſulphureorum in chronicis efficacia. Ipſa enim in ſpaſmodicis affectibus commendare nec audemus nec volumus, palmam ipſis præripientibus tot ex triplici regno ſubſtantiis experientiâ comprobatis.

V.

VERUM,ſi hepar ſulphureum tùm internè,tùm externè uſurpatum,eodem modo chronicis medeatur quam aquæ ſulphureæ minerales, ad quid pharmacum officinale proponere,dum idem forſan præſt..ntius natura ſuppeditat ? Infirmum ſanè argumentum ! Etenim ubique aquas minerales ſulphureas non reperies. Magno etiam illas ſumptu, è remotis regionibus accerſes. Omnem fere virtutem amittunt tùm morâ, tùm itinere. Vix ullam inſuper particulam metallicam ſolutam tenent, niſi quandoque tantillum martis quod citiſſimè præceps decidit. Nec tibi licet augere

vel imminuere ipſarum actionem, adauctis, vel imminutis principiis. Econtrà hepar ſulphureum exhibebis vel ſimplex, vel martiale, vel mercuriale, vel ſtibiatum. Miniſtrabis internè, aut ſolutum in menſtruo aquoſo, aut contractum in pillulares maſſas. Externè more balneorum uſurpabis. Non excludit, imò etiam admittit alia præſidia in variis chronicis indicata. In quovis vehiculo, excepto tamen acido nudo exhibebis, infuſo verbi gratiâ amaro, aromatico, antiſcorbutico, antivenereo, &c. Licebit adhuc ſociare ſalia multa. Verbo dicam, ad indicationum normam, omni loco, omni tempeſtate, pro ætate, ſexu, temperamento, viribus, diverſâque imprimis morbi indole, medicus accommodabit hepar ſulphureum multiplex.

Ergò variis Chronicis variæ Hepatis ſulphurei *ſpecies.*

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptiſta-Eugenia Dumangin.

M. Thomas Levacher de la Feutrie.

M. Bertrandus Dupuy, Scholarum Profeſſor.

M. Joannes Colombier.

M. Joannes-Carolus Desessartz, Saluberrimæ Facultatis Decanus.

M. Joannes-Baptiſta Langlois, Chirurgiæ Latino Idiomate, Profeſſor deſignatus.

M. Joannes Descemet.

M. Maximilianus-Joſephus Leys.

M. Marinus-Jacobus-Clarus Robert, Sereniſſimi Ducis Bipontini, dum viveret, Archiater, nec non à Conſiliis & Secretis.

Proponebat Pariſiis TUSSANUS-CLAUDIUS-NICOLAUS NAVIER, Catalaunus, Doctor Medicus Remenſis, nec non Medicus Pariſienſis, Theſeos Auctor. A. R. S. H. 1778. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Quillau, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1778.